R. P. D. Mercurij Vipere Beneuentani rote ſacri Palatii auditoris primarii Orationes vna de laudibus chriſtiane religionis: Altera de virtutum decoro: nouiter impreſſe.

BIBLIOTECA

FRANCISCVS AQVILA BENEVENTANVS AD REVERENDISS. IN CHRISTO PATREM ET .D.D. IVLIVM MEDICES CAR.

MErcurius Vipera mirumimmodum venerande præſul: Horatii benemonentis præceptum laudauit: quo ſcripta in nouem annos cōprimerentur. Verum in hac ætate alio modo agendū fore autumauit: & ne laboris ſui fructu fraudaretur vſus eſt: ſolent enim nōnulli foris: alieniſq; mellificationibus inſidiari: & pro ſuis habere: & longo ſtudio ab aliis compoſita temere oſtētare. Nec id ſolum veritus ſed ne quidem ſucceſſorꝫ incuria: temporum iniquitate: ſitu: tineaq;: aut blactarum morſu iactura fieret: q̄ nec noſtra: aut futura tempora alium Piſiſtratum Athenienſem ſortita erunt: quj præmiis multos ad veterum ſcripta indaganda excitabat: vt in tenebris latitantia pro ſtudioſis in lucem prodirent. His de rebus quum multa: & varia Mercurii monumenta ſub tanto diuino nomine Leonis. X. pont. max. tui fratris edita ſint aliqd etiam tibi integerrime: & eminentiſſime Iuli impartiri volui: & cum hæc in manibus oratio ſucceſſiſſet: quæ de laudibus chriſtianæ religionis: & alia de virtutum decoro inſcribitur merito tibi dicanda fuit: qui religionis & fidei inter alias virtutes: quibus inſignitus es culmen eniteris: quæſo igitur authoritatem tuam: quæ non facllitatem: quæſo ſeueritatem: quæ non amorē minuit: quibus vt te omnes ſicuti numen excolant aſſecutus es: hanc hylari frōte tanq̄ pauperis munuſculum: & e ſpicilegio manipulum tibi conſecratum accipias: & ſi ingratum altera in meſſe vberrimæ tibi fruges conſecrabuntur. Vale fœlix: & fauſte.

REVERENDI PATRIS DOMINI MERCVRII VIPERAE BENEVENTANI ROTAE SACRI PALATII AVDITORIS PRIMARII DE LAVDIBVS CHRISTIANAE RELIGIONIS ORATIO.

ROMA

P RAECLARA/AC ILLVSTRIS diui Cecilii extat ſententia, Adeſto perorantis ſancte ſpiritus:& paracleſim tuā expectantibus cœlitus illibare / ſanctifica corporis mortalium templum / & conſecra in habitaculum perenne / ac cœleſte imperium, & te exoptantes / deſideranteſq; foueas tua illuſtri/fulgentiq; præſentia letifica: condignam te cultore domum compone: adorna thalamum ſupernum: & quietis / ac tranquillitatis tuæ reclinatorium circunda uarietatibus uirtutum:ſterne pauimenta pigmentis: niteat manſio tua carbunculis flammeis/& gemmaꝝ ſplendoribus, & omnium chariſſimaꝝ intrinſecus ſpirent odoramenta affatim balſami liquor fragrantia ſua:tunc tuum diuinum cubiculum imbuat: & abigens inde quicquid tabidum eſt: quidquid ſordis ſeminarium/ſtabile/ſempiternum/ac perenne hoc peragas mortalium gaudium tui diuini exortus renouatio:indecore in marceſcibili ſolides in ſempiternum:Idcirco pleraq; quæ ad decus diuinæ/chriſtianæq; religionis conſpectant edicenda cenſui. Illa inq̄ diuina/ac piiſſima / fulgētiſſimaq; ſaluatoris noſtri diſciplina effluxit tā illuſtri/ fulgētiq; ſidere illuſtrata multoꝝ cultus deoꝝ labebat, bella laceſſebant uniuerſum mortalium genus, a magnis malis/atq; periculis requieſcebat Octauio imperante/ ꝙ maximum diuinæ/ac ineffabilis ſuæ uirtutis ſignum aſſerere quiſpiam non excitauerit. Itaq; nihil præclarius/ illuſtriuſq; q̄ diuinum illud chriſti dei opt. max. nomen. Quis inq̄ illud reuerēter non ſuſcipiat cuius tantum cunctos mortales ipſum audientes in ſtuporem percellit:

Cur inq̄ priſca figmenta Mēphim pyramidibus ſuperbiſſimis cō-
ſpicuam memorant: Babilonica penſilibus hórtis famigerata refe-
runt mœnia : Epheſi templum innúmerabilibus columnis ar-
duum demirantur : Cyri regiam lapidibus auro illigatis ſplendi-
dam memorant : Pharaon turrim uitreis cancris ſubſtinentibus
memoratiſſimam exequuntur: Olympii Iouis ebore candidiſſimo
illuſtréq; imaginē celebrāt: Labyrinthi ambages itinerꝝ fallētibus
ſublimes autumāt : Amphitheatrū marmoribꝰ altiſſimis/curuiſq;
fornicibus ingētiſſimū prędicāt : Apollinis arā carnibus aſtructā
extollunt. Tuum inq̄ illuſtre/excelſumq; nomen conticuerint/ꝙ
tantum tua diuina / chriſtianaq; religio inter magnificentiſſimas
operas explendet/ſublimius/præclariuſq; eniteſcit/quantum inter
candentia ſidera phœbeum iubar rutilātius / clariuſ ue corruſcat/
emicat/& effulgurat: ipſiuſq; inq̄ uirtutem immortalem admiran-
tur illuſtres auctores: uentorꝝ afflatus confitentur : Et Echo om-
nigena reiterat reſponſa illa portenta deorum cum tuo ſuperemi-
nente nutu ſuperſtitionum omnium deſtruūtur. Per te Dodonea
quercus/& falſidica Delphorum oracula / Aegyptiorum numina/
Oſyris myſtica/ Hyſiaca Anubis latramina/Harpochratis ſilētia/
Cereris myſteria/Orpheę ceruicis præſagia/Phœbadum ludibria/
Bachantium ululamina/ Iouis Hammonis exibilantur deliramē-
ta: portentaq; ipſius diuinæ religionis cætera religionum figmen-
ta: contenduntur cerimoniæ: nec amplius truculento Saturno Ly-
bici immolant pueros: non Taurici imitiſſimam Dianam huma-
no placans ſanguine: nec Galli Theuotantis perinhoſpitales aras
humana ſpargunt uiſcera: nec manibꝰ larium matri uagiētes pue-
ri interficiuntur. Tuo munere nouę fidei non inficiendę leges ter-
rarum orbis didicit: ipſius religionis fideli propitiatione/acerrimū
auditum ſurdi/greſſum claudi/lumen cœci / uocem diſtinctā mu-
ti adipiſcuntur: quum nunq̄ tu omnium ſaluator/ac parens irritū
dediſti uotum : hoc reſonant miracula/ quæ per terrarꝝ orbem mi-
cant: Indi noſcūt, Mauri prædicant, Thraces profitentur, proter-
minant Britanni; nec inſularꝝ refluo Ponto repercuſſi ſinus tuum

incognitum numen prętereunt: Rhodos nanq; Coloſſi oblita re reminiſcitur: Paros lacteo marmore præcellens recordatur: Orchades extremum orbis circumacte commemorant: Creta centū olim prępotētiſſimis urbibus fulta ſalutares preces fundit: Reges Tarſis/& inſulæ munera offerunt: reges Arabum/& Saba dona ducēt. Cum mortales omnes orbis terrarum uenerantur/prædicant/colunt/adorant, & humiles preces tanto numini/fulgentiq; cœleſtis regni principi emittunt. O diuina chriſtianaq; religio/cuius excellentia in omni orbe terrarum corruſcat/illuſtraturq;: nam ſi ordinis dignitate/uel officii claritate/uel magiſtratus auctoritate tanto numini quis uenit adequandus. Exurgat in illa potēs/& egregia maieſtas/quæ cum chriſtiano principe altiſſimo comparari temere audeat: qua unq̄ præteriti æui memoria euaſit: qui aut comitatu potens/aut ducatu inſignis/aut imperio excelſus/tam fulgentiſſimę diuinitati nō ſuccubuerit. Quid inq̄ egregios principatus/altiſſima regna/imperiaq; totius terrarum orbis ingentia meminerim? O Aſſyrii ſilete Ninum/qui primus omnium intulit bella finitimis: Cyrum Perſæ ſilentio tranſeant: Conticeant Macedones Amintam/Philippum/& Alexandrum: Pœni Hammonem/Aſdrubalem/atq; Hannibalem; taceant ſiquidem ii aliqua regnandi gloria/uel imperandi laude emicuerunt: certe horum nemo tam latum/tam propagatum imperium obtinuit: & id quidem ui/aut aſtu occupatum non tam ad mortalium utilitatem/& commoditatem/ſeu honeſtatē/q̄ ad impetrantis nutum/& uoluptatem regebatur: Chriſtianus autē principatus illuſtri uirtute præuia deo ipſo omnium parente auctore regitur/ac gubernatur: Nam ante chriſti ortum/mortalium orbiſq; ſtatus agitabatur: ſemper alterna mutatio & uelut Oceani ęquoris inquietas/quæ ſingulis diebus diſpar nunc ſucciduis per ſeptem dies attollitur incrementis nunc conſequentibus totidem diebus naturali damno interior ſubducitur: ſi exorſi ab Aſſyriis ipſis erimus Babyloniam ipſorum tūc principē gentiū: proinde Romanā urbē orbis terrarum reginā/atq; mortalibus dominantē extitiſſe, illud primum/hoc ultimum imperium, illud paulatim cadens/

& iſtud ſenſim cõualeſcens defluxiſſe illi ſub uno tempore nouiſ-
ſimum regem, iſti primum regem fuiſſe: Iam deinde tunc inuadẽ-
te Cyro orbem/regna uelut in morte cecidiſſe Romanam illam ur
bem fiducialiter aſſurgentem poſt expulſos reges / liberis uti cœ-
piſſe conciliis libertatem ſuam Roma uindicãte: proinde chriſtia-
no imperio imbuta ad hanc gloria prçuecta extitit, ut eſſet gens
ſancta/populus electus/ciuitas ſacerdotalis/& regia, & totius orbis
uertex effecta, & latius præſidens chriſtiana / diuinaqȝ religio-
ne / q̃ mortali imperio: & quamuis multis aucta uictoriis ius im-
perii terra/mariqȝ extenderit/minus tamen extitit / ꝙ ſibi bellicus
labor ſubdidit / q̃ quod pax chriſtiana ſubiecit. Et ſi Athenienſes
quidem pro libertate totius Græciæ incendio patriam tradide-
runt / exilio mutantes domos / ne ſibi Xerſes dominaretur quem
in terris nauigantem/in fluctibus gradientem, quum tamen nec
maria caperent / nec tellus ſubſtineret: nec ꝙ Europæ totius ſpa-
tia tranſitus eius itinere includeret anguſtioribus terrarum fini-
bus / q̃ exercitus commeatu ita perſecuti ſunt fugiẽtem ut uix una
cymba fugitans/auxiliiqȝ indigens ſe ſubtraheret captiuitati. Ve-
rumenimuero ipſi illi uiri qui totam fregere Aſiam / & propter
exiguam Salaminam / & imperitantem fluctibus Xerſem ſubigẽ-
tem fluctibus maria in eo ipſo ꝙ ſibi ſubiectũ putabat elemento
glorioſiſſime debellatũ fugarũt: proinde chriſtianæ religioni inſer-
uierũt/& principes totius Grçciç xp̄iano principatui obtẽperarũt:
Et tã q̃ illç Athenç quç leges aliis dabãt/ ꝑinde chriſtianis legibus
famularunt. Lacedçmonii quoqȝ poſt Thermopilas / & Leonidæ
defuncti triumphos/poſt Ageſilaum Aſiç ſeruatorem/deinde chri-
ſtianam incoluerunt religionem, & ipſorum dominam Macedo-
nia/atqȝ Aphrica inq̃ quæ per ſuos ualidiſſimos principes totius
orbis imperium in ſua iura/& poſſeſſiones transfuderant tranſla-
tam a ſe potentiam chriſtianæ maieſtati obtemperare, tantaqȝ re-
rum mutatione contempte optarunt propitiam diuinam chriſtia-
nam religionem / quos ad diuinam illam ſeruitutem expoſtula-
bant: nec Philippi diuitiis Macedones/ nec Alexandri exciten-

tur triumphis, quos duces omnium prudentiſſimos non immerito inuictos arbitrabantur, qui alter ſe inter Græciam tenuit, alter uſq; ad regna Caſpia / & extrema Perſidis ac Indorum ſecreta uictor peruenit, magni nomen obtinuit, quia maximos omnium nõ laceſſit: quæ licet immatura mors triumpho Romanorum ſubtraxerit, inſeruiuit tamen chriſtianæ religioni, & ipſe tamen in poſteris ſuis, quibus oriẽtis ſpolia non ad fulcrum dominationis quęſita/ſed ad prætium ſeruitutis/ut nobilitas famulantium ad uictoris opes perueniret: Magna inq̃ uirtus in Alexandro/ quid tamen mirum? ille uſq; ad Oceanum uictoriam extendit: chriſtiana/diuinaq; religio ultra Oceanum. Nam in omnem terram exiuit ſonus eius/ & in fines orbis terrę uerba eius. Teſtis ẽ Britãnia extra orbẽ poſita, ſed xp̃ianę religionis uirtute in orbẽ redacta qđ ætas ſupior ignorauit: didicit ipſius diuinæ religionis uictoria, ſeruiunt & ipſi cuius iugũ ſuaue eſt/& ipſi qd eſſet ſeruitus ignorabãt/ſoli ſibi nati & ſibi liberi ſemp/quia ſuperiorꝝ potẽtia interfuſo Oceano ſecreti metuere nõ poterat quos neſciebat/qui ignorabãtur: plus itaq; fuit de iis triũphaſſe. O chriſti inextimabilẽ charitatis dilectionẽ, o miram dei oĩpotentis miſericordiã/qui ut ſeruũ redimeres filium tradidiſti, mortaleſq; oẽs a ſæuo/crudulẽtoq; more ad tranqllos/ quietoſq; mores reddidiſti: O ineffabilẽ redẽptoris benignitatem/qui poteſtatis uoluntatẽ/ non natura deitatis/per quã non poteras nõ eſſe ꝙ fueras, humilitatem noſtram ſuſcepiſti/factus obediens patri uſq; ad mortem/ut illhuc unde uetus Adam cõtumax ceciderat per obedientiam nouus rediret: deniq; ut per te omnia noua fierẽt. O fœlix culpa/quę talem ac tantum meruit habere redemptorem. Quid inq̃ pagerent clemẽtis iam chriſtiano principatui/imperioq; ſubiectis: docuit Indos Oceanus ſeruitutis patientiæ / poſtq̃ tranſfretantibus & ipſis chriſtianæ religionis athlętis / nauigiis inſuetam diuinam illam chriſti ſeruitutem agnouerant. Nam de Hannibale quid repetam? qui tot regionum uictor Romanis & ipſe militauit triumphis/quibus alpes aperuit, uiam ſtrauit, urbes ſubegit/quæ uictoribus acquirerent, qui frequenter ſuperior/

ſpem tamen uictoriæ uictis nunq̄ intercluſit: ſemel uictus reparare ſe nequiuit: ſed ſi ſponte uictoribus quos uictos non ſubſtinebat, abiectiſq; armis uictricibus Pruſiam ſe contulit regem, ex duce mercennarius / ex triumphatore fugitiuus / proinde uictores a principe chriſto omnes in triumphum ducti / & tropheum pulcherrimum / ac illuſtre de his erectum. Quid de Gallis loquar? qui quidem natura feroces / & naturalibus muris ferociores, quos non commēta parietum / ſe iuga alpium ab ortu ſolis tuentur, ab occaſu Oceanus includitur, a meridie prærupta Pyrenei a ſeptentrione Rheni cruenta / fortiſſimiq; Germani / ac inſuperabiles / & inaceſſibiles reddidiſſe ſe clauſtrorum beneficiis exiſtimabant: Romanis tamen ſupra nubes uiantibus / & ultra columnas Herculis imperium propagantibus nihil inuium fuit / tanta facilitate hoſtis & qui latebat repertus / & qui reſiſtebat uictus eſt, quorum improuiſo aduentu conſcendiſſe montes / Germania credidit Rhenū exaruiſſe, qui magnitudinem corporum / & contemptum mortis cæteris ualidiores, quę retinaculum ante ſuum Rhenū putabant: deinde ſalutis defenſionem: itaq; iam non copiis Germanorum repletum ſe Romanoꝝ tunc liburnis q̄ pererrantes tot / uſq; ad mare bicornis amnis quondam liberæ gentes ſeruitio promuere, ut quæ ſibi totius ante orbis imperium proſumpſerant / mox chriſtiano imperio / diuinoq; principatui proprie pulcherrimam mercedē exoluunt diuinam illam patriam / cœleſtem / perennemq; expectantes. Quid Illyriis erutum uenis / & terrarum ſuarum aurum profuit / quibus non abundauit, ad libertatis pręlium / quanto prętioſius Romanorum ferrum / cui inſeruiuit aurum Pannoniorū dat itaq; Pannonius religionis chriſtianæ principi tributum, dat ſummo numini auri tributum, & opes ſuas ad Romanam ſedem / chriſtianæq; religionis uerticem ærarium uolens transfert / ut ſit tutior in tam diuina / ſuauiq; ſeruitute, nec incolam ſuum auro turbid a Pactoli unda extulit in ſuperbiam inſeruiuit lubens / quibus ſeruire imperia conſpiciebat. Nec miratur Indus gemmam ſuam: aut Seres lanam ſuam ad uſum chriſtianæ religionis exercentur.

illa/non prætio mercium / ſed functionum munia. Perſarum inq̄
audimus ſuperba imperia: ſed eorũ quoq; chriſti Athletæ/ ac mar-
tyres diuinæ / chriſtianæq; religioni obtemperantes fuiſſe legi-
mus: & cum ipſi imperitent plurimis nationibus / tamen obtule-
re ſe ipſos/liberoſq; ſuos/nobilitatemq; chriſtiano principatui: Et
ipſi inſeruire congaudebant/pro fide pacis ſinum/ut ſeruiendo edi
ſcerent ſuis imperare offerebant aurum / thus / myrrham & cæ-
tera prætioſa/ac illuſtria chriſto obtulere. An Hæbraici populi
duritiem / ſeuitatem conſideremus in chriſtum chriſtianamq; re-
ligionem, quum conſpicerent mortales omnes chriſto principi
inſeruire/tam amare/tam ſæue/tam truculenter in diuinam illam
chriſtianam religionem ſe habuere: ſed quis adeo alienum ab
humanitate ſe præſtet? quis eſt tam duris egreſſus cautibus/ tam
ferino lacte depaſtus eſt, quem in tanti Iudaici populi imma-
nitate pietas non penetrat / non confodiat / non iugulet, conſpi-
cientem Ieſum illum ſummi dei filium / cunctorum archite-
ctorem, qui a ſummo cœlo egreſſus exultauit ut gigas ad cur-
rendam hanc uiam. Illum inq̄ Ieſum manibus/pedibuſq; confixi-
ſtis pro humani redemptione generis in ſęuiſſimo crucis ligno
pendere. O dira/o memoranda crudelitas, o notanda ingratitudo/
populus ab initio a deo prælectus, populus per deum de iugo
Pharaonis duriſſimo liberatus, populus cui manna/ mel/ & lac de
cœlo pluerat, populus per aquarum amarities in dulcedinem uer-
titur, cui uolatilibus cœli caſtra complentur, cui percuſſa petra
fluenta ſcaturiunt, cui ſerpentum uenenoſi morſus æneo ſerpente
ſanantur. Hic inq̄ populus deum ſuum ad crucem/ad mortem cla-
mitat/quia ſe regem appellat, quum ex ipſius ore trans mare Ga-
lileæ ſæpius audiuiſſet/regnum meum non eſt de hoc mundo, ſeq;
i deo ne rex fieret recepiſſet in ſolitudinem/conſpexiſſetq;. O malo-
rum omnium radix, o idolorum ſeruitus cœca cupiditas, o nefan-
dum ſcœlus, o inauditum facinus, o rem tragędia dignam / mun-
di dominum necant, rem proculdubio ſcęleſtem/facinoroſam/ mō-
ſtruoſamq; peragunt. ſed atteſtamus Aegyptũ abundantẽ opibus

ſuis, nec indigentem pluuia cœleſti/quæ ſibi ipſa imbres generat/
& pluuiarum ubertates creat: deniq; cum ſit frequentior omnibus
regionibus ſola non queritur de ſiccitate, & ꝙ nulli alii loco ſup-
petit/alii irriguo ſuas meſſes, nauigatur per ſata, nauigatur in
arenis ubi pluuia naſcitur, cuius tamen noua gratia / & natura-
lis fęcunditas chriſtum ex Paleſtina fugientem excępit, ipſumq;
cum deipara uberrime aluit. Quid inqnam Romanam ipſam ur-
bem gentium reginam / dominamq; loquar cognomine regis for-
tiſſimi? qui ſecta fluminis muro neſcit / obſidionemq; uniuerſorũ
amnium maximus / diffuſo per ſpatia terrarum alueo / & obſidio-
nis ſummoueat impedimenta, & euehendis neceſſaria ſunt / ad
uſum rerum miniſtrat, quæ magis poterat ad rebellandum q̃ Ae-
gyptiis excitari? quæ decies ſeptingenta/& quinquaginta milia
mortalium/præter Alexandriæ incolas / populos Romanis faſci-
bus numerabat aſcriptas, & quum laberet tantam hominum mul
titudinem malebat chriſtiani imperii tributis ſe exercere/q̃ ſuis mi
litare ſtipendiis. Non tranſiliam Cyrenenſes lacedęmoniorum/
qui quondam cum Carthaginenſibus de finibus/atq; imperio cer-
tarunt/finem certaminis mortem offerentes, qua oblatione uicti/
ſed ulti tamen iniuriam fratribus Phyleneis uictoriam connexe-
rę. Nec Syrtes præteribo terribiles / etiam ſolo auditu ꝙ omnia ad
ſe trahant, & appropinquantia uadoſo mari hereant, tertiam par-
tem totius orbis ab Atlantico mari / & columnis Herculis uſq; ad
mare rubrum/atq; Ethiopas definiri rerum periti aſſeruere, om-
nes inq̃ chaiſtianæ religioni inſeruiere. At Hyſraeliticus ille po-
pulus ipſum cruci affixere. O Hyſrael Hiſrael hic inq̃ qui pen-
det chriſtus/eſt primus ille Adam / ex cuius ſoporato latere Euam
hoc eſt religionem diuinam/& chriſtianã deus pater eduxit. Hic
eſt ille optimus paſtor/quem Chaim in campo / ideſt in loco Cal-
uariæ interfecit. Hic eſt ille Seth quem reſurrectionem interpræ-
tamur. Ille Enos qui primus nomen domini inuocauit. Hic eſt qui
Lamech hoc eſt huius ſeculi peccatũ poſt ſeptuaginta ſeptẽ mũdi
generationes abſoluit: huius figurã Melchiſedech geſſit/q de fruc-

tibus terrę ſacrificium obtulit, geſſit & Aſſer cuius panis in credē-tium ora pingueſcit: geſſit Ioſeph/Iob/Moſes dum reduceret popu-lum facit: quid aliud Aaron q̄ hunc chriſtum ſignauit, uictimarū cruore peccata diluit: quid aliud Ieſus naue qui uos in repromiſ-ſionis terram reduxit: qui Gedeon ducum trecentis ad prælium proficiſcitur: quid ſibi uoluit Sanſonem fauū ore leonis eximere/ niſi chriſtum humanū genus ab ore dæmonis liberare? quid hely reprobatio ſacerdotis? quid duo℞ libero℞ extinctio? niſi aduenien-te ſaluatore/ueteri depulſo ſacerdotio nouum fieri. Et tu populus Hyſraeliticus ſolus chriſtum ipſum omnium auctorē ſpernis/quē orbis terra℞ colunt. Quis inq̄ tot gentium populos numero recen-ſeat? quibus fulta Carthago Scipionis dextra non tulit: maluitq̧ Romam duabus anni partibus aduerſus ſe paſcere q̄ alio℞ opi-bus miſſa aduerſus Romanos rebellare. Creta quoq̧ centum urbi-bus nobilis uberrima præferens regna circumfuſo undiq̧ mari ex fluctibus tanq̄ mœnibus ſolita repellere unum chriſti militē ueri-ta extitit, & plurimi populi diuinæ orationi/chriſtianæq̧ religioni chriſtiq̧ dei opt. max. metu/ſeu amore inclinantur. Aſia/Pontus/ Enyochis/ Scytę Monades/Taurofcytę/Meotidaq̧ regna/Boſpho-raniq̧ omnes chriſtiano imperio inſeruiere/diuinæq̧ religioni cre-didere: & illud ante innauigabile pelagus quadraginta naues ad pacem exercent. Nam de Armenia quid dicam? quæ non ſolum limitis ſui ſeruat quietem: uerum etiam portarum intenta cuſto-dia diligenter explorat/ne pacem chriſtianam turbaturus irrepat. Omnes ergo chriſtianæ religioni inſeruiere; uos ſoli dedignamini ei inſeruire: Cui ſubiciuntur uniuerſa quibus freti armis/quo ſu-perbo milite/ubi eſt ſtolus nauium ueſtrarum/qui obſideat freta/ percurrat maria: chriſtiani principatus/atq̧ imperii ipſius inq̄ no-men elementa etiam tranſierunt, in quem chriſtum orbis terra℞ etiā tranſiuit, qui chriſtiano clauditur/& diffinitur imperio: ceſſit Oceanus finib9 ſuis: nouit xp̄ianus principatus interiora eius p̄ter ſecreta: Euphrates ille inacceſſibilis ante niſi ſuis incolis ex utraq̧ iam ripa iā chriſtianus extitit/& ſub chriſtiano imp̄io totū iā fuit,

ſe ſignificat Orienter/Iſter in ſeptentrionalibus partibus/inter ſę uas & innumeras profluit gentes chriſtum ſuſcępit, hoſtes eius co ercuit: ſi de religionis auxilio præſumitis o Hæbrei/ quum orbem iam Ieſu Athletæ repleuerint, aut ſine nutu dei putamus chriſtianam creuiſſe religionem / chriſtianumq; principatum ſuper omnes regiones pręferre imperium ſuum: nam ueſtra iam dudum religio uos deſeruit: amplectimini chriſtianam / diuinamq; religionē. Cur inq̄ ſcindi ſibi ueſtimēta ſacerdotalia Cayphas paſſus eſt? niſi q; agēte etiam per eum ſpiritu ſancto mutari ſacerdotium/ueſteſq; cognouit: ſi omnes a uobis in chriſto crucifixi ſunt. O Iudei cum quibus ſuffixus eſt Dauid/& Salamon: Nonne unquam legiſtis Elyam igneo curru ad ſuperna ſublatum: Eliſeum de montis altitudine deſcendiſſe: Nonne puero Eliſeo inſultantes/ edicentes / aſcende calue: hi uobis humanatum chriſtum oſtendebant, qui de monte / cœloq; egreſſus inanem ſe fecit. Tota lex ueſtra/& prophetæ huius diei thipus/ ac figura ſunt: Hyeremias uerbis/& paſſionibus chriſtum expreſſit; Oſeæ fornicantem liberauit eccleſiam: Hoc idem Abdias/ Zonas/ Zorobabel figurarūt. Hic eſt ille o Iudei qui de theſauro ſuo noua/& uetera protulit teſtamenta: hic eſt ille qui relictis centum ouibus unam perditam querit: hic eſt inq̄ qui miſit operarios, plantauit uineam, effodit torcular: hic eſt ille homo qui deſcendens ad Hyeruſalem in latrones incidit: hic eſt qui contra pręmentes Hæbreos decem plagas immiſit: hic qui greſſus populo dedit protegentem nubem/maris trāſitum/ ingreſſum Eremi/cibum mane/aquę dulcorem/uictoriā cōtra Amalech/ mandata decalogi/archam teſtamenti/dedicationem tabernaculi/ oblationes/benedictiones in Hyſrael. Nonne Iſaias duo ſeraphin in duorū teſtamentorū enigmate ſpeculetur / cum duodecim aliis ideſt Apoſtolis/qui ſua oratione totum orbem mira celeritate diſcurrunt: quid teſtimonia apertiora conquirimus: nonne hunc aſpexit Hyeremias ſedentem ſuper equum ruffum ſanguine paſſionis? nōne hunc lapidem /hoc eſt chriſtum uidit ſeptem habentem oculos ꝓpter ſeptiformis ſpiritus plenitudinē/& ꝑdicaturos uerbū

dei per uniuerſum orbem equo ſummiſſos: Taceo quattuor paradiſi flumina/ quæ ab euangeliſtis emanant / in ueteri thalmud quod ante quadraginta ſuę ætatis annos Hæbrei legere nõ audẽt. Aodazaras(ita compertum habetur)tunc in cœna dixit dominus unus ueſtrum me proditurus eſt, & lauit eius pedes, & commutauit ſinagogas/boues/arietes/hircos in ſuum ſanguinem/& corpus: Hæc ante chriſti aduentum tercentum ſeptuaginta annis uaticinata ſunt. Porphyrius chriſtianæ religionis hoſtis acerrimus non mirum/inquit/ſi tam multis annis peſtilentia uexatur ciuitas :Et ſi Eſculapius/& alii dii longe ab ea abſunt/poſtq̃ enim quidam Ieſus coli cœpit/nihil a diis noſtris conſequi poſſumus. Nonne Plutarchus ab Aemiliani rhetoris patre circa Echinadas inſulas nauigante/interiſſe magnum Pana relatum Tyberio Cæſari conſtãter affirmat hanc chriſti paſſionem uetus Hionetis oraculũ apud Caldeos oſtendit, propter illum(inquit)qui primo peccauit deus excruciabitur. Scriptum eſt etiã apud ueteres thalmudiſtas/ Deus pro peccatis pendebit / & illi non credent in eum. Tradet inquit Eſaias morti animam ſuam, & cum ſcæleratis deputabitur: Expãdi enim manus meas ad te anima mea ſicut terra ſine aqua tibi ueIociter: quid aliud Eſaias q̃ ſparſum chriſti ſanguinem ſignificat: rubra eſt tunica tua/& ueſtis ueluti eoꝶ qui uuas in lacu prę̃mũt. Quid aliud intellexit Amos? Vidi dominum ſtantem ſuper altare ligneum. Quid Sophonias? Principes eius quaſi leones rugientes in medio eius. Quid Zacharias? Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuaꝶ, & dicet/plagatus ſum in domo eius qui diligebat me. Quid tu prophetaueras de chriſto domino Elechias? Trãgreſſus eſt Iuda/& abominatio eſt facta in Hyſrael / quia contaminauit ſanctificationem domini, quam dilexi:ꝙ ſi nõ accipere de chriſto figuras has uultis/accipere ſaltem de uobis figurata debetis/ & intelligere Hæbreoꝶ imaginẽ in Cham fuiſſe oſtenſam/& in Ruben/qui patri ueſtro illuſiſtis/eiuſq; cubile ſumma perfidia uiolaſtis: intelligite ſinagogam ueſtram quando Dalida Sanſonem caluum peragit/& in manibus exponit Philiſtinorum: intelligite Hę

breorum plebem rabie æſtuantem/quum ollam Hyeremiæ ſuccē-
ſam legitis condeſcendere/conſpexit in domū figuli / fieriqꝫ uaſis
diminutionē/& inſtitutionē noui ſumentis calicē ſupplitii/& uni-
uerſis gentibus porrigentis : duo cœci iuxta uias ſedentes / nonne
uos eſtis quibus appropinquantibus a chriſto dictum extitit , ego
ſum uia/ueritas/& uita : homo habens manum arridam / quis eſt
prȩter te o Hæbree/in quo nulla eſt miſericordiæ gutta, nulla exti
tit pietatis ſcintilla aduerſus chriſtum . Hinc dies o Iudei chriſti
necis uobis templum/& altare diruit:hinc legem/& prophetȩ ade-
mit regnum / & ſacedotium ſuſtulit:edicite in quas nos Moſen/&
Ieſum credimus,uos Moſen tantum : ſi Ieſu miracula admittitis/
cur rationem queritis ? reddite uos rationē ueſtram Moſis ueſtri:
quos de Moſe refugitis/nos de chriſto non proferemus:fideles cō-
ſpicitis chriſti fidem toto orbe diffuſam:Non ſunt inquit loquelȩ/
neqꝫ ſermones/quoꝝ non audiantur uoces eoꝝ: Vt inquit diuinus
uates / Non diu permanent o Hyſraelitici quæ ueritati aduerſan-
tur;uoluit Theudas quidam pro deo in Grȩcia extimari/& ſtatim
euanuit . Voluit Iudas Galileus ad ſui cultum ex Iudaico populo
multos elicere:& confeſtim fallaciæ pœnas dedit.Maluit Samma
reus Dolitheus ladriam populoꝝ / ſeqꝫ chriſtum eſſe Sammaritis
perſuadere,ſe breui omnis eius cōmerſia diſciplina ſublata eſt.Idē
Simon magus efficere conatus eſt : pauci tamē imo fere nulli ſunt
qui eum in ipſa etiam Paleſtina ſectentur . Sola chriſtiana religio
quia uera eſt radices egit : ſola totius orbis impleuit ambitum : In
omnem terram exiuit ſonus eoꝝ/& in fines orbis terræ uerba eoꝝ.
Hæc inq̄ fides non habet in tenebris domicilium/ ſed in ſole taber
naculum ſuum/ibitaqꝫ ueritate diſpoſuit:qua de re reſipiſcite iam
ad eum qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare , ad ipſumqꝫ
confugite . Hæc inq̄ eſt illa diuina chriſtiana/ cœleſtiſqꝫ religio/ac
fulgens/quæ non ex rebus corruptis/ac fragilibus conſtare digno-
ſcitur/ſed ex uirtutibus illuſtribus/& eo cultu qui in cȩleſti impe-
rio oritur, in quo mens colentis ſeipſam deo imaculatam/inuictiſ-
ſimam ſiſtit.Quiſquis igitur chriſtianæ religionis / ac eius p̄ceptis

diuinis/cœleſtibuſq; obtemperauerit; hic cultor eſt dei opt. max. cuius pclara ſacrificia ſunt pietas/animiq; mãſuetudo/& uita mũda hac innocens/actuſq; probi/boniq;, quæ omnia exhibet/ totiens thurat/& ſacrificat/quotiés pium aliquod peregerit: itaq; in aram chriſti dei opt.max.quæ uere maxima eſt, quæ in hominis corde collata inclinari non poteſt, ſanguine/iuſtitia/imponitur patiẽtia/ fides innocentia/caſtitas/abſtinentia; hic eſt uetiſſimus ritus, hæc illa diuina lex/ut a Cicerone edocemur/præclara/ & illuſtris/ſemperq; recta/& honeſta iubet, uetat praua/ & turpia; cui parentem ſanctæ religionis chriſtianæ/ac eius legi certiſſime iuſtæ/ac legitimæ neceſſe eſt uiuere, uitamq; perennem/ac cœleſtem ducere. Te inq̃ chriſte propitiator/mortaliumq; opifex/atq; propitiabilis/opitulans te aggrediar/undequaq; extollendus/collaudandus/præconizandus oratione/uoceq; decantandus/atq; exorandus: nec in tuę excelſitudinis / & maieſtatis / imperiiq; magnitudinem præferendam, illam inq̃ magnitudinem/lepidas/canoreſq; mnenoſines proles, ut poetæ edixere, tuo inq̃ numine propulſis tenebris diem omnibus primatibus cõmunem omnibus mortalibus inuehat luna roſeis educta bigis nocturnam illuſtrat ferruginem/ ac tenebras: te omnium rex parens cœleſtibus corollis fulgurantem regem inſtituit: te pmitentte ignitus aer/ac ęther clareſcit: lubricãs aqua liqueſcit: tellus grauior rareſcit: demũ cũcta in ſe cõcordãt elemẽta: te ſuppetitante/ uel leui zephyro grauidũ floret æſtas: ſpicea cancro flagrante exæſtuat: hyems pluuioſa boreali frigore rigeſcit: te annuente alati ſubſidũt uenti, procelloſę cõciduntt tẽpeſtates; pluuiæ in ſerenitatem cõmutãtur: tui cauſa montium reuidẽt culmina: uallium lubricoſa pręſamina, colliũ decliua ſubleuamina: tuo munere arbores frondentes germinant, flores ſpirantes uaricant, uincoſi ceſpites repullulant uirtutis tuæ auſpicio/ac præſidio ſpumoſa placantur ęquora, cornigera decreſcunt flumina; undoſa lacu adequantur/ceſſante tuo numine piiſſimo/cui omnia obtempe rant. Hinc munera ſancti ſpiritus dei opt. ac excelſi / fulgentiſſi-

EIVSDEM ORATIO DE VIRTVTVM DECORO.

VM DIVINA ILLA MENS SOli mortali ex omnibus animantibus a deo tradita quæ illum ducit/& regit,& honeſtaꝝ cogitationũ curam habet cuiuſcunq; occulta cogitatio ſecundũ propriam uirtutem,utiq; ad dei agnitionem/ & ad ueram fœlicitatem nos ducit: & fecit ut homines ſemper cogitarẽt quæ profutura eſſent declinarent aduerſa, ſequerentur proſpera, aſpera autem eiicerent. Hac quidem duce agnitione reꝝ/& ſapientiam nanciſcimur,quæ mirabilem iucunditatem præſefert, tanto magis quanto præſtantior eſt qui per ſe ſapit, ut inquit Heſiodus, q̃ iis qui ſemper inquiunt. Iccirco pleraq; quæ ad mortalium cõmoditatem ſpectant differẽdum cenſui. Si coꝝ omnium opifex/ & moderator deus ipſe qui eſt omnia,quiq; mundi anima,& uniuerſi mens, qui temporum uices/ætheriſq; ſplendentia culmina, qui deniq; ęquoris uelivoli flamina/atq; infernoꝝ deplorata ſilentia nutu diſpenſat ſuo, cœlumq; qd ſua eſt regia illi obtemperat, noluit abſq; opera illos ſuæ lucis radios ſplendidiſſimis promereri. Idcirco exomni genere hominum,quos claros / dignos diuina illa uirtus effecit: nullum neq; præſtantius / neq; melius eſſe exiſtimo,nec maioris honoris laude quadam cũ beniuolentia/etiã admiratione colẽdum q̃ ii qui doctrinæ/& ſapientiæ ſtudiis dediti ad mortalium utilitatem maximos fructus cõtulerunt. Nam quis erit adeo iniuſtus reꝝ ęſtimator qui non fateatur dignos eſſe quos non modo probemus/ſed ueneremur,nõ diligamus/ſed amemus, non obſeruemus/ſed religioſiſſime colamus,a quibus non/ quemadmodum a nonnullis fit ſuum/aut domeſticum agitur: ſed rerũ publicarum/aut totius terrarum ſalus rectiſſime gubernatur, qui quo honore apud maiores noſtros habiti fuerint facile hinc perſpici liquet: Siquidem nõ ſummis uiris æquabant/ſed in deos gẽtilis illa ſtultitia reponebat. Hinc Ceres/hinc Minerua/quarũ al-

tera oleæ/altera tritici inuẽtrix putat̃. Hinc etiã illa infinita deoꝝ/ dearũq; multitudo/e quibus Apollinẽ uaticinio/Dionyſiũ miniſterio/Venerẽ amori ueteres p̃eſſe uoluerũt. Extãt p̃terea exẽpla pene innumerabilia clariſſimoꝝ uiroꝝ/q̃bus uti liceret, ſed prolixitatẽ in ꝛe conſpicua reiiciendã cenſeo. Nã ſi de prudẽtia/ ceu ſapientia querimus/quis inq̃ addubitauerit apud florẽtiſſimũ & beatiſſimũ illud ſeculũ ĩfinitos/ac prope inumerabiles fuiſſe, inter quos Marcum Curiũ/& Corruncanũ / & Catonẽ illũ maximũ expectatũ uirum/quos ſapientes noſtri maiores iudicabãt. Quid inq̃ apud Grecos iure/ meritoq; laudat̃ Socrates ille quẽ legimus Athenis Apollinis oraculo ſapientiſſimum fuiſſe iudicatũ. Laudantur præterea ſeptẽ illi Greciæ ſapientes/ut taceã principes clariſſimos ſtoicæ diſciplinę Zenonẽ/Cleantẽ/ & Chriſippũ: deniq; quicquid ex omni priſcoꝝ philoſophoꝝ inſtitutionis memoria proditũ eſt. Quid p̃terea de Miliſſo/Empedocle/Anaxagora/Democrito/Platone referã? qui philoſophiæ ſtudia ſũmis honoribus/ ac diuitiis antepoſuere, quoſdã uero abieciſſe res familiares quo uirtutẽ ipſam nudi/expeditiq; ſequerẽtur. Iccirco Plato *dicit* ad Aegyptos nauigaſſe, tantę inquit/extitit auctoritatis apud ueteres ſapiẽtiæ nomen ut Pythagoras eã orã Italiæ quæ olim magna Græcia uocitata eſt peragrauit: Apolloniũ ferunt hymnis incenſus amore Perſas / Babylonas/ Medos/& Caucaſum penetraſſe. Id inq̃ omne in ſummam uirtutis rationẽ trahitur haud cauſa reꝝ ignorat: abſcedit etiã contẽplatio reꝝ maximarum/ occultarumq; quæ ſolius ſapientis eſt: tũc enim agit humana mens ſecundum illud diuinum quod in ſe habet tũc non terrena cogitat ut mortalis, ſed quantum poteſt ſe ad immortalitatem erigit homo, omniaq; efficit quæ recta ſint/ut bene/beateq;/ac pie uiuere poſſit. Ea inq̃ uera eſt/ac beata uita quæ ſecun

Sylii: Non niſi recta agamus/arcereq; nos ab iniquis: & ad Scipio-
nem/Iuſtitiæ cultor quæcunq; capeſces, teſtes factorum ſtare arbi-
trauere diuos. Cum omnes mortales ſub dei imperio degant, ut
Samius Aegyptius ad Alexandrum diſſeruit. Quippe etiam/ut
Tyrius meminit, Aer minor æthere: æther q̄ celum hactenus per
ueniunt partes quæ ſe inuicem ſuperant, ſi ad ipſum acceſſeris cę-
lum/in eo ſiquidem inuenias magnitudinem una cum pulchritu-
dine pariter/ac firmiter cōſiſtere: Quid enim ſpecioſius cœlo? quid
ſideribus clarius? quid ſole fulgentius/ illuſtrius / uegetabiliuſq;?
quid uitalius luna/ordinatius cæteris choris? quid uenerabiliuſq;
numina dei qui omni pudicitia/continentiaq; colendus eſt, ut iu-
ſtitia ipſa/temperātiaq; in eo ſeruetur, quæ iuſtitiæ potiſſima pars
eſt: Siquidem fęda res eſt intemperantia uoluptati enim famula-
tur quā homini grauis/& calamitoſe primorum parentum infœlix
exitus oſtendit, qui lege aberrantes (ut ſacræ edocent litteræ) ſibi
& omni poſteritati exitum peperere: quæ inquam Olympia/quæ
Nemea deferent fabuloſa illa priſca ſuperſtitio: optima ſiquidem
illa Athenis Dionyſia exiſtimabant/optima tamen panathanea:
ſed tamen celebrabantur ab his qui odia reciproca exercebant bel-
lum potius q̄ gynopodie/lachyntia/choriq; a priſca ſuperſtitione
credebantur. At Ageſilaus rex inuidet Alexandro: Agiſopolis Api-
di Cynadon regibus: Phalantus Emphoris Perthemiæ Spartiatis
inſidiatur: ut inquit Lybicus/nequaq̄ celebritatem eſſe exiſtimet/
donec concelebratores non cœnam ueram inter ſe iuſtitiam/ami-
citiamq; ſeruare. Hæc enim lex/is modus conſtitutus eſt a legiſla-
tore deo uerarum celebrationum quibus qui caruerit/iuſtitiam/
amicitiæq; laudem penitus ignoret, q̄uis libauerit ſæpius: quāuis
Olympiis Iſmaſis Nemeis adſcriptus ſit intro ad animum pene-
trare pręconium oportet, intro pacem accipere donec enim bellū
acerrimum in animo ſine ulla fęderis ſpe uiget alienus, omnino
animus manet ab illa uera iuſtitia/deiq; immortalis amicitia: ho-
ſtilis inq̄/ac triſtis/hoc eſt qđ indicabant pene furire fabulę/ac tra-
gediæ. Sequamur igirur pacem ſinceram/ac illibatam iuſtitiā/il-
lam diuinam e cœlo uocemus, ipſam amplectemur. ſiquidem de-

ſcendet optimis precibus/moribuſq; euocata,& pacem mortalibus
ſpondeat,& pacem illis declaret/condonetq; . O dulce nomen pa-
cis:o rem tum iucundam/tum ſalutarem : Siquidem ut noſter Ci-
cero præclariſſime dixit,nec priuatos focos/nec publicas leges ui-
detur:nec libertatis iura chara habere,quem diſcordiæ / quem cæ-
des ciuium/quem bellum ciuile delectat , eumq; e numero homi-
num eiiciendum ex finibus humanæ noſtræ exterminandum .
Verumenimuero ſiquis diligentius rerum ordinem / naturamq;
ſcrutetur/nihil inueniet mentium unitate/ac pace ſublimius: Ipſa
ſummi dei ſupremi rerum omnium opificis bonitas in res ab ſe cō
ditas/atq; ſeruatas : nonne quibuſdam ſcatebris pacis obrepit , dū
in ſeipſo manēs in omnia funditur : & in ſe immobilis mouetur in
omnibus : hanc ipſam mundi molem in unum redigēs contrarias
elementorum naturas mutuo nexu cōcilians omnia generat , om-
nia continet , omnia ſeruat:dum intellectuales/animales/ natura-
leſq; uirtutes ſibi/atq; ipſas inter ſe archana / & ineffabili prouidē-
tia diſponit/& nectit , ut ſiquid in his omnibus etiam aut contra-
rium/aut diuerſum eſt/id unitatis/& pacis cauſa uideatur effectū.
Nec enim coniungi quicq̄ poteſt / niſi ꝙ prius aliqua ratione diſ-
iunctum eſt,ſed demum ubi fine adepto iniungitur/ ſplendor di-
uinæ bonitatis elucet,cuius fructum in rebus omnibus/ nullo ue-
tiore q̄ pacis nomine poſſimus appellare . Pax finis poſtremus/&

Digitized by Google

belliconſiſſimas gentes in ditionẽ Ro. imperii redegerint, ipſumq̨
imperiũ cũ ultimis terrarum finibus terminauerint. Ideo quis nã eſt
qui nõ ſummopere admiretur C. Fabii liberalitatem (ut omittam
cæteros) qui cũ pactũ de redemptione captiuorum cũ Hannibale a
ſenatu improbaretur miſſo in Vrbem filio fundũ quẽ unicũ poſ-
ſidebat .cc. ducentis militibus uendidit/eiuſq̨ pretium Hanniba-
li protinus numerauit. Ne illa quidem regia ſane & Arcigonio ge-
nere digna ſententia ꝑtereunda ſilẽtio eſt inq̃ Pyrrhus Epirotharum
rex de captiuis reddẽdis uerba huiuſmodi habuit, Nec mihi aurũ
poſco, nec mihi prætium dederis, nec cõponentes bellum ſed bel-
ligerãtes ferro non auro uitã certã utriq̨ uos ne uelit an me regere
hora quid ne ferat fore/uirtute experiamur: ex hoc ſimul accipe di
ctum quorum uirtuti belli fortuna pepercit, eorundem me libertati
certum eſt parcere dono ducite: doq̨ uolẽtibus cum magis dis/ſed
ne in re perſpicua pluribus moror. O diuinũ/& pulcherrimũ/fœ-
liciſſimũq̨ uirtutis nomen, quæ uirtus (ut meminit Cicero) ut
ager quis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe nõ poſſit/ſic ſine uera
diſciplina animus. Itaq̨ ẽ utraq̨ res mãca/& debilis. O illuſtris uir
tutis triũphus/ac fulgentiſſimũ/ſplẽdidiſſimũq̨ tropheũ: ipſa inq̃
uirtꝰ/ut Ariſtot. diſſeruit/diuina res diiudicat̃; deũ ipm̃ mortales
cognoſcere edocet uirtutis actiones page nõ ſolũ orone ꝑmere hęc
exigit ut ad legẽ ſuã qſq̨ uiuat: ne rõni uita unius ſine oium actio-
nũ diſſidia coloris ſit: & ut Plato inqt/eſt dei munꝰ/inuẽtũq̨ deorum
hęc nos primũ ad illorum cultũ/deinde ad ius hoinũ qd ſitũ eſt in ge
neris humani ſocietate/tũc ad modeſtiã/magnitudinẽq̨ aimi eru-
diuit: eadẽq̨ ab aimo tãq̃ ab oculis caliginẽ diſpulit. O diuinã/cęle
ſtẽq̨ xpi philoſophiã/quã q ſequit̃ illuſtrat̃/ac illuminat̃; q tẽtat
exurit̃. Ipſe eſt inq̃ xp̃s cuius ſummę religiõis origo/& uertix/uin-
dexq̨ malorum/bonorum oium illuſtrator q formã ſub ſe cũctos orone
uera philoſophica uirtute inſtituẽs quo magis doceret patiẽtes in
aduerſis qui ꝑ penni uita degerent, tutus oino ueris ſuis athletis
quibus aut æternę uitę qes in tuto/aut ẽt eius in lucro eſt ut p di-
uinã illã pennẽ/ac excelſam philoſophiã/ut oia/ſupa/infera/prima
ultima/mediaq̨ uideremus/ac cõſpiceremus. Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google